Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-220663-p0001-1

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-220663-p0002-7

AD

# JUSTA

*SINGULARI PIETATE, LIBERALI MODESTIA NEC SPERNENDA ERUDITIONE CONSPICUO*

JUVENI SCHOLARI,

# IOANNI ANDREÆ RANDOLFIO,

VVERNIGERODANO,

ADHUC LYCEI WERNIGEROD. ALUMNO, nec non CHORI SYMPHONIACI

## PRÆFECTO, b. m.

*A. D. 13. Maji A. C. CIↃIↃCCXXXVI RITIBUS CHRISTIANO HOMINE DIGNIS SOLVENDA,*

OMNES AC SINGULOS

*MÆCENATES, FAUTORES ET AMICOS REI NOSTRÆ SCHOLASTICÆ,*

EA, QUA PAR EST, ANIMI DEVOTIONE AC OBSERVANTIA

*INVITAT*

EUSTASIUS FRIDERICUS SCHüTZE, *Rector.*

*WERNIGERODÆ, Ex Officina Michaelis Antonii Struckii, Typogr. Aul.*

MDCCXXXVI.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-220663-p0003-2



Albæ gallinæ filium,
quod ajunt,
non inſulſe dixeris
juvenem ſcholarem,
quem
periculoſas voluptatum hujus ſeculi Syrtes,
lubricæ juventæ adeo infeſtas,
feliciſſime præternavigare videt
ſagax Scholarum magiſter.
Eſt enim,
in quo
immenſa ſupremi Pædagogiarchæ gratia
per ſacroſanctum regenerationis lavacrum conceſſa
efflictim ſeſe exerit,
eumque adhuc vacillantem
*mox purgando,*
*mox renovando,*
*mox firmando*
ad
ætatem Chriſti virilem robuſtiorem
accreſcere,
inque precibus ac fide
uberius incrementum in bono capere ſinit.
Quæris hujus cauſæ fundamen?
Poſitum eſt in ſalutis noſtræ acropoli,
JUSTIFICATIONE,
cujus formale

in gratuita *remiſſione peccatorum propter Chriſtum*
ſitum,
quodque ipſemet *Spiritus Sanctus in homine juvene regenito* ſemper
fovet, urget, ſuffulcit.
Euge, *mi Scholaris*, ſodes,
Pœnitentiam juſtificationis præambulam age quotidie,
Remiſſionem peccatorum h. e. juſtificationem ale fidiſſime,
Vitam novam in novitate Spiritus vive conſequenter
&
Renovationis ſaluberrimum negotium
in ipſa
fœderis baptiſmalis renovatione quotidiana
expedietur, & niſi perficiatur, tamen abſolvetur,
ita quidem,
ut imago Dei, chriſtianæ vitæ finis, magis magisque inſtauretur.
Verum enim vero
memoriam pacti hujus baptiſmalis ſi malitioſe obliterabis,
&, quod fletibus non ſatis proſequi poſſunt cordatiſſimi quique,
quodque non in omnibus pari ratione ſeſe prodit,
*modo pactum cum Diabolo ſanciendo*
*modo peccata mortifera contra conſcientiam committendo,*
*modo illecebris appetitus ſenſitivi dominium concedendo,*
*modo à fide chriſtiana per apoſtaſiam deficiendo,*
*modo ſtudium bonorum operum contumaciter explodendo*
fidem & bonam conſcientiam propulſabis,
homo fœdifragus,
& pacti cum Deo in baptiſmo initi violator
optimo jure
audis.
Si hoc, deperdite fili, tibi contigerit,
nil ſupereſſe video,
quam ut
ablutio ſordium carnis in Chriſti Sanguine,
ne immundus in mundi ſqualoribus pereas,
procuretur, promoveatur.
Tantum enim abeſt,
quod omnes ad unum cordati ſcholarum doctores
mecum aſſerunt,
ut in eo peccati ſtatu baptiſmus proſit,
ut potius obſit,
& gravioris damnationis,
licet per accidens,

ſit

ſit cauſa.
Veram ergo ac ſeriam pœnitentiam,
quæ omnis in eo ſita eſt,
non quamdiu, nec quantum,
ſed quam verè & ſerio
ſcholaris peccator doleat,
de tuo hoc fœdifragio agas,
& Deus,
quæ ejus infinita gratia eſt ac miſericordia,
in priſtinum gratiæ pactum per fidem in Chriſtum te recipiet,
ita
ut tuo baptiſmo æque ac non lapſus te conſolari
denuo poſſis.
Sin vero illud, mi optime, in te alioſque,
quorum numerum non determinabit quiſpiam,
quadrabit,
&
συνειδήσεως ἀγαθῆς ἐπερώτημα εἰς θεὸν
de hoc internum teſtimonium tibi perhibet;
Immo ſi hæc tria,
quæ etiam homini ſimplici vel idiotæ ſuppetunt,
nimirum
quotidianam pœnitentiæ devotionem,
ſinceram in Chriſtum fidem
&
inabruptam fœderis baptiſmalis renovationem
inſtituis, foves, curas,
cetera Deo curæ ſint,
atque ita
de tua ſalute procul omni dubio
res nunquam unquam irrita fuerit.
Quotus nunc quiſque inter ſcholares
hac indeſinenter incedit ſalutis via,
belle ipſi ſit, neceſſe eſt.
*Profecto*
bonæ conſcientiæ teſtimonio,
quod in ſpiritu veritatis fallere neſcit,
ſum convictus,
in re præſenti,
aſſertionis ejuſque deductionis filum modo ut abrumpatur, ſuadente,
ſtudioſum juvenem

JOANNEM ANDREAM
RANDOLFIUM,
digniſſimum,
qua fuit ſincera pietate, liberali indole ac ſpe eximia;
Academiæ Candidatum, b. m.
talem in vita exſtitiſſe,
qualem prior gratiæ nempe ſtatus ſupponit
pium ſcholarem.
Natus quidem
heic loci obſcuro loco ac tenui fortuna
patre
Zacharia Randolfio,
opifice atque ſutore apud noſtrates
matre vero
Anna Cathraina, nata Sievertenia;

Quibus parentibus
cum prognatus eſſet,
ſtatim ſacro baptiſmi rore tinctus
foedus cum Deo iniit,
in quo etiam,
quod omnes boni apud nos fateantur neceſſum eſt,
chriſtiana diſciplina pariter atque ad monitione in Dominum
abhibita
bene ſtetit.
Ex quo porro factum,
ut bonis literis quam diligentiſſime colens animum
*in hoc Phrontiſterio noſtro*
tantos in eis fecerit progreſſus,
ut omnino
*ad Academiam probe præparatus*
quod hodie non omnibus contingit,
habitus ſit.
Aſt
Deo ſapientiſſimo rerum humanarum arbitro
aliter viſum eſt.

E Choro

E choro enim noſtro ſymphoniaco,
cui apprime prudenterque huc uſque etiam præfuit,
ad cœleſtium gaudiorum concentum
evocatus eſt,
*atque ita d. 7. Maji a. c.*
hæmoptyſi aliisque pectoris adfectibus graviter laborans,
annos modo 23. habens
*animam in Chriſto placide efflavit.*
Nil poſitis his rerum circumſtantiis ſupererit,
quam ut
exequias *chriſtiano ſcholari dignas*
honeſtemus.
Ad funus itaque ejus
ex ædibus Heinekenianis prius efferendum,
deinde vero
ad concionem funebrem,
quam
Vir
Reverenda dignitate, æque ac interiori rerum divinarum uſu atq;
doctrina inſtructiſſimus
*Dn. JACOBUS DELIUS,*
*Conſiſtorialis, nec non Eccleſiaſtes ad b. M. V. & S. Theobaldi ædem*
*vigilantiſſimus*
craſtina luce hora 3 pomerid. & ſequ. habebit, audiendam
omnes, quos Hornéum noſtrum heic loci habet,
*Mæcenates, Fautores & Amicos*
obſervantiſſimo atque humaniſſimo animi cultu
invitatos volo.
Vos vero,
*Studioſi adoleſcentes Lycei noſtri,*
*hortor iterumque adhortor,*
ut defuncti exequias non frequenter tantum comitemini,
ſed bonum ejus exemplum altis radicibus animo infixum
imitemini.

Qua

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-220663-p0009-9

Qua de cauſa
hæc tria vobis omnibus ac ſingulis,
quæ eſt mea animarum veſtrarum cura,
etiam atque etiam commendo:
Pœnitentiam agite quotidie,
Evangelio Chriſti credite finaliter
&
Fructus pœnitentia dignos ferte ſedulò.
Sic beneficio gratiæ baptiſmalis,
quorum ſenſus hæc capit interior,
ſalvi erimus omnes,
& erit

# SOLI DEO GLORIA.

PP. Wernigerodæ d. 4. Id Maji A. R. S. CIↃIↃCCXXXVI.



78 M 404

ULB Halle 3
002 188 724

TA-70L

VD17 22

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-220663-p0011-6

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-220663-p0012-2

M

AD

# JUSTA

*SINGULARI PIETATE, LIBERALI MODESTIA NEC SPERNENDA ERUDITIONE CONSPICUO*

## JUVENI SCHOLARI,

# IOANNI ANDREÆ RANDOLFIO,

VVERNIGERODANO,

ADHUC LYCEI WERNIGEROD. ALUMNO, nec non CHORI SYMPHONIACI

## PRÆFECTO, b. m.

*A. D. 13. Maji A. C. CIↃIↃCCXXXVI RITIBUS CHRISTIANO HOMINE DIGNIS SOLVENDA,*

OMNES AC SINGULOS

*MÆCENATES, FAUTORES ET AMICOS REI NOSTRÆ SCHOLASTICÆ,*

EA, QVA PAR EST, ANIMI DEVOTIONE AC OBSERVANTIA

*INVITAT*

EUSTASIUS FRIDERICUS SCHüTZE, *Rector.*

*WERNIGERODÆ, Ex Officina Michaelis Antonii Struckii, Typogr. Aul.*

MDCCXXXVI.

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19
Farbkarte #13 B.I.G.
Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black
Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-220663-p0013-8
DFG